DIES NOMINALIS

PLUR. REVERENDI,
EXCELLENTISSIMI,

DN. SIMONIS WEISSII,

Ecclesiastæ Thoruniensis ad D. Mariæ Vigilantissimi, Plurim. Reverendi Ministerii Assessoris dignissimi, nec non Mœcenatis sui æternum devenerandi,

Celebratus
ANNO M. DC. LXXXI,
D. XXVIII. Octobris.

Ab Humillimô Cliente
DAVID Schwartz/
Meg. Tschirn. Sil.

THORUNII imprimebat CHRISTIANUS BEKK, Gymn. Typ.

SIMON WEIS,

ἀναγραμματισθεὶς.

OMNIS JESU.

FElicem Cræſus ſe prædicat atq; beatum,
Virtute inſignem laudat Ariſtoteles.
Prudentes Sapiens Plato credidit eſſe beatos,
Delicium extollis Tuq; Epicure gulæ:
Tu mihi nec felix Plato, nec tu Cræſe videris,
Tu nec Ariſtoteles, nec Tu Epicure ſapis;
Nam magis eſt felix, qvin feliciſſimus ille,
OMNIS qvi JESU deditus usq; manet.
Et qvidni JESU potior poſſeſſio gazis
Sit cunctis, JESUS omnia namq; tenet.
Auctor is eſt ſolus donorum & origo bonorum
Qvorumvis, capit hæc deditus omnis ei;
Eſt fons æternæq: ſpei pelagusq; ſalutis
Is ſolus, ducens gaudia ad illa poli,
Qvalia non oculô percepta nec aure cuiqvam,
Nec fingi tacitâ qvalia mente qveunt;
Qvis non poſthabitis cunctis Dulciſſime JESU,
Pectore Te totô diligat atq; colat?

Qvis

Qvis Tibi non OMNIS JESU ſit nocte dieq;
Deditus officiis, laudibus atq; piis?
Qvis non felicem dicat, qvi ſemper JESUM
Omnibus in factis pectore & ore fovet?
Et ſanè, ſi qvem ſors hæc felicitat unqvam,
OMNIS qvi JESU deditus eſſe qveat;
Tu VIR es EXCELLENS, Mæcenas, Summe Patrone,
Nomine dum felix hoc ſimul omen habes:
Comprobat hoc etiam WEISSI Tua Candida vita,
Integritas, Virtus, Juſtitia atq; Fides.
Qvin Tibi commiſſum munus cæleſte Jehovæ,
Qvô JESU ſervis nocte dieqvè, docet;
Cernimus hoc omnes, Tua qvàm ſit dedita JESU
Enthea mens, oculi, pectora & ora Tua.
Tu Felix, ſi qvis felix, es, Tuq; beatus!
Vita cui ſolus, gaudia, JESUS, amor.
Audax Pellæus Juvenis tentaverat armis
Diris & ferrô cuncta domare ſuô,
Totius ut mundi Victor foret atq; Monarcha
Unicus & regeret, Sol velut unus, eum;
Luſit at inflatam, vanô ſpes omine mentem,
Cui JESUS volupe eſt rectius ille ſapit.
Cui ſtudio JESU felici deditus OMNIS
Cum ſis Mæcenas Per-Reverende, ſapis.
Gratulor auſpiciis Genialis jure Diei,
Qvi Bonitate Tuâ commoda mille tuli!

Proſpe-

Proſpera Fata Diem perfundant hunccè Salute
  Omnigenâ, & ſortis nubila diſcutiant!
Adſpiret radiis Numen Cæleſte ſerenis
  Stamina Parcarum, ut fortia fila trahant!
Juſtitiæ ſplendor colluſtret Tecta Domumqve,
  Obſerventq; vias agmina cælituum!
Imò Deus Summus venientes proroget annos,
  Multa in ſecla diu, Vir Venerande Tuos!
Fœnore ut hic multo cæleſtia ſemina ſpargas!
  Ac inopes multos auxiliô usq; juves!
Sic per Te capiet fructus Eccleſia multos,
  Et Tua, dum cælum, Fama manebit, erit.